

tuum, quia tu illa honorans, me inhonorasti. Minus recte S. Cyrillus haec refert ad Josiam, qui in Judaea delubra idololorum subvertit, IV *Regum*, XXII. Agitur enim hic de templo Ninives, non Judae. Nota: Pro *quia inhonoratus es*, Septuaginta vertunt, *quia velox es*; Chaldaeus, *quia hoc perfacile est coram me*. Hebraeus enim *קל* significat primo, levem; secundo, velocem; tertio, facilem; quarto, vilem et inhonoratum: homines enim leves sunt viles et abjecti.

Vers. 17. 13. ECCE SUPER MONTES PEDES EVANGELIZANTIS. (Ita quoque Syrus vertit, et Arabicus uterque, q. d. Casus Sennacherib, statim cursores et veredarii id ipsum ubique divulgabunt. Unde Ezechias et primores Judaeorum hoc evangelium, id est letum nuntium, per suos cursores et praecones, more gentis suae, in montibus proclamabunt, ut a populis circumquaque in vallibus habitantibus, quam longissime dato tubae signo exaudiantur. Clamabant ergo, dicentique): CELEBRA, JUDA, FESTIVITATES TUAS (antea ob obsidionem intermissas), ET REDDE VOTA TUA, — quae pollicitus es Deo, cum in Jerusalem obsidereris a Sennacherib, ut ab eo te liberaret. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Haymo et Lyranus. Ubi advertit minus verum videri quod S. Hieronymus, Haymo et Hugo censent, scilicet per festivitates intelligi solemne illud Pascha institutum, et restitutum ab Ezechia, II *Paral.* XXX, 3 et 15. Nam illud diu ante adventum Sennacherib, sub initium regni sui instituit Ezechias, ut patet II *Paralip.* XXX, 3. Septuaginta, quos sequitur S. Cyrillus, Theophylactus et S. Augustinus, lib. XVIII *de Civit.* XXXI, ita disjungunt et legunt: *Quia velox esse super montes pedes evangelizantis et ammantatis pacem*. Atque id ipsum allegorice referunt ad Apostolos evangelizantes pacem et gratiam Christi, ut alludat Nahum ad *Isaia* LII, 7: « Quam pulchri super montes pedes evangelizantis et praedicantis pacem! »

Mystice. S. Augustinus: « Haec, ait, ad novum Testamentum pertinent, quorum dies festi ita spiritaliter innovantur, ut in vetustatem transire non possint. Porro per Evangelium exterminata sculpilia et confutata, id est idola deorum falsorum, et oblivioni tanquam sepulture tradita, jam videmus. Et hanc etiam haec in re prophetiam completam esse cognoscimus. » Et S. Hieronymus: « Si quando, inquit, gravissima persecutio fuerit, qualis sub Valeriano, et Decio, et Maximiano (hi enim sunt nostri Assyrii et Sennacheribi), et Domini ultio apparuerit in adversariis ejus (uti apparuit in strage Valeriani, Decii et Maximiani), dicamus ad Ecclesiam. Celebra, JUDA, festivitates tuas, et redde vota tua. » Sic tropologicè anima fidelis Evangelii assuela, quieta et sancta celebrat sua festa, exultans et jubilans Deo in laude et gratularum actione, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, uti monet Apostolus *Ephes.* v, 19.

Unde apte haec referas ad renovationem spiritus et votorum, quam Religiosi faciunt, ac praesertim Societatis nostrae his quotannis. Haec enim est solemnitas ingens, eisque propria: atque in ea redduntur, id est renovantur et instaurantur vota, ut, si quid ex voto obedientiae decesserit propria voluntas, ex voto paupertatis propria commoditas, ex voto castitatis incauta curiositas, id totum abdicetur, ut vota primæve integritati et sanctitati resituantur, imò puriora, integriora et ardentiora evadant. Unde fiet quod sequitur: « Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial, » ut scilicet vitium cui subjectus fueras, tibi amplius dominetur, sed illud perfecte vincas et mortifices. In his enim tribus perfecta renovatio consistit, nimirum primo, ut Juda, id est vir religiosus confidens et laudans Deum, celebret suas festivitates, hoc est feriatas et liber a terra rebusque mundanis, arcibus se totum Deo addicat et consecret, juxta illud *Isaia* LVIII, 13: « Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum, etc.: tunc delectaberis super Domino, et susollam te super altitudines terræ, et cibabo te hereditate Jacob patris tui. » Secundo, ut reddamus vota Deo; reddamus, inquam, ea prima et integra, taliaque qualia fuere, cum primum ea Deo novimus. Tertio, ut ultra Belial in nobis non pertranseat: Belial, id est sine jugo, vel vetustum, est innatus cuique defectus, et vitium principale, a quo caetera oriuntur; v. g. in uno vitium principale est ambitio, in alio gula, in tertio aecidia, in quarto pusillanimitas. Renovatio in eo consistit, ut hoc vitium quisque ita mortificet, ut amplius non dominetur, sed si quando mentem pulsat, statim supprimatur et reseccet; ita ut vitium sit in ejus potestate et dominio, ut illud ad libitum frenare et regere possit. Qui haec praestat, fit homo novus, celestis et divinus; ac, ut ait Nazianzenus, « in suis actionibus explendescit; » quia terrena fastidians, mente in caelo versatur, vivitque in confinia Dei laude, amore et júbilo, vitamque agit sanctam, apostolicam, angelicam, seraphicam, adeoque jam praeludium habet vite beatæ, eamque orditur et inchoat, brevi eandem consummaturus in caelo.

QUIA NON ADJICIET ULTRA UT PERTRANSEAT IN TE BELIAL. — Belial dicitur quasi בלי עול *beli ol*, id est sine jugo; hinc Belial significat inobedientiam, impietatem, apostasiam; ac secundo, ipsos inobedientes, impios, apostatas, qui jugum legis, vel fidei, vel professionis excutiunt; quorum quia princeps et caput est diabolus, hinc tertio, Belial significat diabolum. Unde pro Belial Tigurina vertit, *Deo et hominibus infestus*. Hinc in Scriptura homines valde impii et scelerati vocantur *fili Belial*. Vide dicta II *Cor.* vi, 15. Hic ergo impium et theomachum Sennacherib cum suo exercitu vocat Belial, q. d. Impius Sennacherib non am-

plus suis copis te, o Judaea et Jerusalem, obsidebit et affliget; quia universus interit, cæsus ab angelo. Ita S. Hieronymus, fugo, Valabius. Alii per Belial accipiunt Assyrium, id est Assyrium, ut singulare ponatur pro plurali, q. d. Perit Ninive et imperium Assyriorum: translatus est enim ad Chaldaeos. Ita Theodoretus, Remigius et Albertus. Porro Septuaginta vertunt: *Non adjiciet ultra ut pertranseat in vetustatem*. Consummatum est, consummatum est; ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione; vel, ut S. Chrysostomus legit in lib. *Decem Homil.* Romæ impresso: *Non adjiciet ultra venire ad vetustatem*. Consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim et terra insufflans in faciem tuam, et extimens e tribulatione. Que ita interpretatur, q. d. Vetera consummata et sublata sunt: nova facta sunt omnia. Videntur Septuaginta Belial derivare a radice בלל *balal*, id est inveterascere, consumi; ut belial, sive beli ol, sitidem quod vetustus fugi et servitutus.

Aggogice.

Hoc aggogice de renovatione Ecclesie futura

in fine mundi ita explicat S. Hieronymus: « O Juda (o Ecclesia, o fidelis, o sancte et eccle), redde vota tua, quia nequaquam ultra pertranseat inimici qui te adducent in vetustatem, hoc est, qui te volunt inaginem portare veteris hominis. Quoniam quod vetus est senescet, et quod senescit perditioni proximum est. Completus est mundus, consumptus est adversarius: venit tibi Christus, qui prius insufflaverat in faciem tuam; cum te de limo fingeret, et post resurrectionem quoque insufflans in faciem Apostolorum ait: Accipite Spiritum Sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive et transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet. »

Allegorice hic Belial, puta Sennacherib hostis populi Dei, est diabolus, peccatum et mors, inquit S. Cyrillus et Theophylactus, quem prostravit et fugavit Christus, cujus ira et furor contra eum graphice describitur hic vers. 2, 3 et 6. Quocirca eo fuso et fugato tranquille agit Ecclesia, ac sine timore et periculo celebrat suas festivitates.

## CAPUT SECUNDUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Pergit vaticinari obsidionem et excidium Ninives per Medos et Chaldaeos, quorum arma, castra, et milites feroces, celeres et terribiles instar fulguris graphice describit. Deinde, vers. 8; Ninives desolationem, spoliationem, pavorem et consternationem depingit; causamque addit et inculcat, quod fuerit cibus leonum, id est tyrannorum et predonum (1).*

1. Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, confort alumbos, roborata virtutem valde. 2. Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipaverunt eos, et propagines eorum corruperunt. 3. Clypeus fortium ejus ignitus, viri exercitus in coccineis: ignea habene currus in die preparationis ejus, et agitadores consopiti sunt. 4. In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis, aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrunt. 5. Recordabitur fortium suorum, ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros ejus, et præparabitur umbraculum. 6. Porta fluviorum aperta est, et templum ad solum dirutum. 7. Et miles captivus abductus est: et ancillæ ejus minabantur gementes ut columbae, mur-

(1) Describitur obsidio et direptio Ninives, nec non ruina ejus et Assyrii regni. Et primo, notatur aggressio Ninives per Chaldaeos: primo, horum describitur adventus ad obsidionem faciendam, contra quos Ninivitas ad urbem defendendam ironice excitat Propheta, 1; secundo, redditur ratio bellici apparatus ad obsidendam et expugnandam Ninivem instruendi, de quo, versu superiore, cohortet, quod Deus precium populi sui chari dignitatem resistens decrevit, 2; tertio, ut illud efficitur, prius hostis illius potentissimi sedes defendens est; unde vates pergit describere tum apparatus armorum et militum, 3; tum exercitum numero, ferocia et celeritate timendum, vers. 4.

Secundo, describit Propheta, quid suscepturus sit rex Assyrius ad defendendam urbem Ninivem, advocat strenuos quosque, qui ex muro pugnent, est ob nimiam festi-

nationem et consilii inopia alter alteri impedimento est, simulque vident machinas obsidionis jam paratas, 5.

Tertio, sequitur descriptio expugnationis, primo, per portarum diruptionem et templi eversionem, 6; secundo, per praesidiarum captivitatem, et urbium dependentium delitionem, 7; tertio, per civium ignominiosam fugam et dispersionem, 8; quarto, per diruptionem rerum pretiosissimarum, 9; quinto, per summam animi ex his calamitatibus perturbationem, 10.

Quarto, jam Assyrii devictis amarulenter Propheta insultat, tyrannidem et rapacitatem regis et procerum eorum eadem perstringens, iterumque praedicit extinctionem regni Assyriorum, primo, per destructam metropolim ac sedem potentiae et opulentiae, 11, 12; secundo, per sublatis principes cum insignibus imperii Assyriorum, 13.

murrantes in cordibus suis. 8. Et Ninive quasi piscina aquarum aquae ejus: ipsi vero fugerunt: state, state, et non est qui revertatur. 9. Diripite argentum, diripite aurum: et non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. 10. Dissipata est, et scissa, et dilacerata: et cor tabescens, et dissolutio geniculorum, et defectio in cunctis renibus: et facies omnium eorum sicut nigredo ollae. 11. Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, ad quam ivit leo ut ingrederetur illic, catulus leonis, et non est qui exterreat? 12. Leo cepit sufficienter catulis suis, et necavit leonis suis: et implevit praeda speluncas suas, et cubile suum rapina. 13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, et succedam usque ad fumum quadrigas tuas, et leunculos tuos comedet gladius: et exterminabo de terra praedam tuam, et non audietur ultra vox nuntiorum tuorum.

Vers. 1. 1. ASCENDIT QUI DISPERGAT CORAM TE, QUI CUSTODIAT OBSIDIONEM. — Syrus et Arabicus, *custodiens custodiam*, id est agens excubias. Querens PRIMO, de qua obsidione agit hic Nahum, an Hierosolymae, an Ninives? De Hierosolyma agi censent Chaldaeos, Theodoretus, Theophylactus et Vatablus, qui veritatem applicat sic: *Ascendit*, id est instar vaporis ascendit in auras, abiit, evanuit et perit dispersor vel dissipator, id est Sennacherib, qui dispersit filios tuos, o Jerusalem, teque obsedit. Videtur enim Nahum prosequi eadem Sennacherib, de qua egit in fine capitis praecedentis. Unde Septuaginta vertunt: *Ascendit insuflans in faciem tuam, evens de tribulatione, q. d.* inquit Theodoretus: Deus in te, o Jerusalem, obsessam et pene enectam insuflavi spiritum vitae et salutis, fecitque ut revivisceres, quando exsufflavit et occidit castra Sennacherib, quae te obsidebant et eneabant: sicut olim formans Adamum insuflavit in eum spiritum vitae, fecitque eum in animam viventem, ut scilicet esset animal et homo vivens. Favent sequentia, in quibus agit de Israele dicens: « Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel, » q. d. Deus postquam per Sennacherib sat castigavit superbiam Israel et Jude, projecit virgam in ignem, hoc est, ipsum Sennacherib cum suis interemit. Hinc pertinet expositio Arie, quae talis est: Ne superbas, o Jerusalem, eo quod evaseris manus Sennacherib; nam si in scelera recidas, ascendet contra te Nabuchodonosor, qui tuam superbiam puniet, teque obsidebit et vastabit, uti de facto contigit.

Secundo, melius alii passim accipiunt haec de obsidione et excidio Ninives, tum quia tota propheta Nahum est «onus Ninive», ut habet ejus titulus, non Hierosolymae; tum quia expresse de ea se explicans vers. 8, ait: «Et Ninive quasi piscina» etc. Ita Hebraei, S. Hieronymus, Remigius, Albertus, Hugo, Lyranus, Clarus, Ribera, a Castro et alii. Sensus ergo est, q. d. Contra te, o Ninive, «ascendit» id est brevi ascendet hostis, qui «coram te», id est in tuis oculis, te spectante et gemente, a dispergat, hebraice מפיץ *me-pitiz*, id est confringat, conterat, dissipet, disperdat tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas

et accolos, «quique custodiat obsidionem», id est qui arctissime te obsideat, areolet, et observet quasi custos, ne qua via elabaris, et ejus manus evadas; nec desistet, donec te expugnet et capiat. Nam, ut sapienter ait Livius lib. V: «Obsidio ejus urbis, quam cito capere velis, et urgenda et premeda.» Item: «Cum obstinato hoste obstinate pugnandum, » ait idem lib. X. Hinc proverbium: «Hectorem imitaris, ab Illo nunquam recedis.»

Querens secundo, quando, et a quo obsessa et capta est Ninive? PRIMO, Diodorus Siculus lib. III, Justinus lib. I, Megasthenes, Eusebius, Orosius et alii chronologi et historici passim docent Ninive expugnatam fuisse ab Arbaee Medo, et Beloso Babylonio, qui Sardanapalum regem Ninives coegerunt ad sui necem, ut scilicet insiliret in pyram a se accensam: hunc enim fuisse ultimum regem vel monarcham Assyriorum, in eoque illam desisse, ac translata esse ad Medos et Chaldaeos. Porro Eusebius in *Chron.*, S. Hieronymus, initio *Comment. in Amos*, S. Augustinus, lib. XVIII *De Civit.*, cap. xxi, Orosius et alii passim tradunt Sardanapalum vixisse tempore Oziae regis Juda, quo tempore Procus Syrius, avus Romuli, rex erat Latinorum, regnabatque in Alba. Verum haec duo non satis consentiunt cum S. Scriptura; nam constat post Oziam sub ejus pronepole Ezechia vixisse Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon, qui erant reges Assyriorum, regnabantque in Ninive, erantque potentissimi: nisi dicas in Sardanapalo eversam esse Niniven et monarchiam Assyriorum; postea tamen refluisset Niniven, eique restitutum esse regnum, licet non monarchiam. Nam quod aliqui, volentes historicos profanos cum S. Scriptura conciliare, respondent cum Eusebio et Megasthene, Salmanasar, Sennacherib et Asarhaddon fuisse reges Assyriorum, id est Babyloniorum, qui ad se monarchiam Assyriorum jam translulerant, Assyrisque a se devictis dominabantur; hoc, inquam, dici nequit. Nam eodem tempore Babylonis dominabatur Merodach Baladan, quo Asarhaddon Assyrii, ut patet IV *Reg. xx*, 12, collato cum cap. xix, vers. ult. Ergo illo tempore diversi erant, propriae reges Assyriorum, aequae ac Babyloniorum. Ut ut

est, de excidio Ninives sub Sardanapalo, si cum ponas coævum Oziae, loqui nequit Nahum, utpole eo longe posterior; illud ergo perfinit ad tempora Jone, ut dixi in ejus Proemio.

Secundo, Hebraei censent Niniven vastatam esse sub initium regni Manassis, qui Ezechiae patri in regno Juda successit, ideoque Manassen ductum captivum in Babylonem, non in Niniven, eo quod Ninive jam esset eversa, uti ex Suida refert Genebrardus lib. I *Chronol.*, qui et addit Sardanapalum, per crasin, eundem esse et nomine et persona cum Asarhaddon. Asarhaddon enim regnavit sub tempora Manassis: videturque fuisse ultimus rex Assyriorum: nam post eum nemo alius in Scriptura nominatur. Cumque profani historici asserant ultimum regem Assyriorum fuisse Sardanapalum, videtur quod hic fuerit alius quam Asarhaddon, qui vixit sub Manasse; ac consequenter tum desisse imperium Assyriorum, et Niniven esse eversam. Verum huic sententiae refragatur Eusebius, S. Hieronymus, S. Augustinus et alii Graeci ac Latini passim, qui docent Sardanapalum diu ante Manassen vixisse sub Oziae rege Juda, ut jam dixi.

Tertio, S. Cyrillus et Theophylactus censent Niniven eversam esse a Cyro et Persis. Sed hi videntur confundere Assyrios cum Babylonis, et Niniven cum Babylone: Babylonem enim everit Cyrus, non Niniven. Sic historici saepe sub Assyriis comprehendunt Babylonios, et vice versa, ut cum numerant quatuor celebres veterum monarchias, Assyriorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, sub Assyriis comprehendunt Babylonios.

Dico ergo Niniven captam et eversam esse a Medis et Chaldaeis, puta a Cyaxare rege Medorum, et a Nabuchodonosore rege Babyloniorum. Cyaxares hic fuit filius Phraortis, et pater Astyagis; Astyages autem fuit avus maternus Cyri. Probatur haec sententia PRIMO, quia id disertè asserunt Septuaginta *Tobiae* cap. xiv, vers. ult. Tobias enim senior moriens ibidem vers. 5 monet filium Tobiam juniorem, ut secedat ex Ninive, eo quod ob scelera sua illi imminet excidium intentatum a Jona. Addunt Septuaginta in fine capitis, Tobiam juniorem ante mortem audisse hoc excidium, dicentque: *Et mortuus est (Tobias junior) annorum centum viginti septem in Ecobanis Medorum. Et audivit, priusquam ipse moreretur, perditionem Ninive, quam captivaverunt Nabuchodonosor et Assuerus, vel, ut Romanae legunt, Assyros, id est Cyaxares.* Nomen enim Cyaxares, vel Kyaxares, conflatum est ex prenomine Ky, id est princeps; et Azares, quidem est cum Hebraeo et Chaldaeo *Achaserus*, id est Assuerus, ut docet Scaliger *De Emendat. temp. in Assero*, et Serarius in *Tobiae* cap. xiv, *Quaest. IV*. In utroque enim nomine sunt eadem litterae consonantes, quae solas attendunt Hebraei et Chaldaei, etiamsi puncta sive vocales varientur. Secundo, quia communis sententia chronologorum

et historicorum est, Nabuchodonosorem fuisse conditorem monarchiae Babyloniorum, eamque ab Assyriis et Ninive in Babylonem translulisse: hoc autem facere non potuit, nisi, capta et vastata Ninive, imperium ei adimeret. Tertio, Herodotus, lib. I, disertè docet Niniven eversam esse a Cyaxare. Cum enim narrasset Phraortem oppugnasse Niniven, sed frustra; ibi enim cum copiis interis, subdit Cyaxarem Phraortis filium, ut patris necem ulcisceretur, Niniven obsidisse: sed cum interim Scythae Mediam invasissent, Asiaeque imperium occupassent (quod tenuerunt per 28 annos), Cyaxarem obsidionem solvisse, ac cum Scythia bella gessisse, donec post 28 annos eos superavit et expulit: quo facto Niniven rursus aggressus, expugnavit. Idem docet Eusebius in *Chronico*, et S. Hieronymus hic, et Preat. in *Jonam*: «Et revera, inquit, quantum ad historias tam hebraicas, quam graecas pertinet, et maxime Herodotum, legimus Niniven regnantem apud Hebraeos Josia, et Astyage (regnante cum patre Cyaxare) rege Medorum, fuisse subversam.» Porro Cyaxares expugnavit Niniven, adjectus a genero suo Nabuchodonosore; haec enim de causa ei filiam suam despondit, nomine Nitocrin. Haec est illa Nitocris famosa, quae in Babylone curavit fieri hortos pensiles, qui orbis fuerunt miraculum, de quibus Curtius lib. V, et Josephus lib. X *Antiq. xiv*. Tertio enim opera heroica celebrat Herodotus lib. I, ubi et addit illam sibi seculum extruxisse, eique haec inscripisse: «Si cui regum Babylonis post me futurum fuerit pecuniae penuria, apertio sepulcro, tollat quantumcumque liberit, pecuniam duntaxat indigens, aliter ne aperiat.» Aperuit illud Darius, sed pro pecuniis hanc sententiam reperit: «Nisi pecuniae esses inexplibilis, et turpis lucri cupidus, haud aperuisses urnas defunctorum.» Denique haec est sententia Hebraeorum in *Seder Olam*, Theodoret, Rupert, Lyran, Ribera, a Castro, Adrichomii in *Chronol.*, anno mundi 3237, Serarii in cap. xiv *Tobiae*, et aliorum.

Querens tertio, quando Cyaxares et Nabuchodonosor expugnaverint Niniven, an ante, an post excidium Hierosolymae, quod illi intulit Nabuchodonosor anno 18 regni sui, qui fuit annus Sedeciae regis Juda undecimus et ultimus? Aliqui censent Niniven expugnatam esse ante Jerusalem. Ita Eusebius in *Chronico*, dicit expugnatam Niniven inchoate anno 28 Josiae, et complete anno 4 Joakim filii Josiae. Eusebius sequitur Beda, lib. *De Sex aetatibus mundi*, ubi tradit Scripturam numerare annos Nabuchodonosoris ab anno 4 Joakim, quia ex eo ipse non solum Chaldaeis et Judaeis, sed etiam Assyriis et Aegyptiis cepit dominari. Accedit Christophorus a Castro, qui censent Niniven expugnatam anno 1 Nabuchodonosoris.

Rursus moderni quidem chronologi manscripti censent Cyaxarem anno regni sui 35, qui

Rebelli- tur.

Secundo.

Rebelli- tur.

Tertio.

Rebelli- tur.

Quarta et veritas Cyaxares.

Probatur ino.

Cyaxares quis?

Secundo.

Tertio.

Horti pensiles Nitocris.

Quarta.

Aut, censet Eusebius et alii

Alii ad dant

Nabuchodonosor senioris. Josie regis Juda, inquit, fuit 13 et Nabuchodonosor senioris primus, expugnasse Niniven. Hic Nabuchodonosor senior a Beroso, Eusebio, Josepho Scaligero, cardinali Bellarmino et aliis vocatur Nabonassar, vel Nabopolassar, qui regnavit 21 annis, fuitque pater Nabuchodonosoris junioris, qui evertit Jerusalem aliasque gentes: unde a rerum gestarum gloria cognominatus est Magnus, de quo passim loquitur Scriptura in lib. IV Reg. cap. xxiv et xxv, et in Jeremia, Ezechiele, Daniele aliisque Prophetis: Ab hujus ergo patre, aequae ac Cyaxares dicunt hi eversam esse Niniven. Probant id *primo*, quia Herodotus indicat Cyaxaren fuisse coevum Psammithico regi Aegypti, qui fuit proavus Apries, sive Ephree. Nam Psammithico, qui 54 annis regnavit, successit filius Nechao, qui Josiam regem Juda occidit. Nechaoni successit filius Psammis, qui fuit pater Pharaonis Apries, sive Ephree, uti narrat Herodotus et Diodorus Siculus. Ephree autem regno spoliatus fuit a Nabuchodonosore juniore, uti docet Jeremia cap. XLIV, 30. Ergo Cyaxares, expugnans Niniven, non videtur fuisse coevus Nabuchodonosori juniore, utpote quem aliquot generationibus antecessit; sed seniori. *Secundo*, quia Eusebius et S. Hieronymus paulo ante citati docent Niniven eversam a Cyaxare, vel Astyage sub Josia rege Juda: ergo ante excidium Jerusalem; hoc enim contigit sub Sedecia filio Josie. *Tertio*, quia Septuaginta jam citati docent Tobiam juniorem ante mortem audisse excidium Ninives: hic autem Tobias puer, scilicet sex vel septem circiter annorum, cum patre in excidio Samariae et regni Israel abductus fuit a Salmanasare in Assyriam, anno 6 Ezechie regis Juda, atque in Media mortuus est anno aetatis 99, ut habent Latina Biblia, *Tobie* xiv, 16. Deme septem puertatis ejus annos, qui ejus abductionem et annum 6 Ezechiae praecesserunt, ab eoque computa sequentes annos usque ad 13 Josiae, invenies 99: ita ut Tobias hic videatur mortuus anno 43 Josiae jam dicto. *Quarto*, Josephus, lib. IX *Antiq.* cap. xi, docet Nahum prophetasse sub Joathan patre Achaz, additque: « Evenerunt autem omnia quae de Ninive praedicta erant post centum quindecim annos. » Alqui annus 13 Josiae est 115 ab anno ultimo Joathan: ergo hoc anno 13 Josiae videtur eversa Ninive. Atque haec videtur fuisse virga vigilans omnium gentium dorso imminens, quam anno 13 Josiae vidit Jeremia cap. i, 2; scilicet virga haec fuit Nabuchodonosor senior, qui anno 13 Josiae evertit Niniven, cepitque in alias gentes grassari.

Verum obstat huic sententiae, *primo*, quod hi auctores in suo synchronismo, sine combinatione temporum, cogantur 70 annos captivitatis Babylonicae ordiri ab anno 13 Josiae; in hunc enim dicitur incidisse annum 35 Cyaxaris, quo ipse Niniven evertit, qui deinde adhuc regnavit quinque annis (universim enim regnavit annis 40). Successit ei filius Astyages per annos 38; Astyagi

Probant id primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Refutatur primo.

successit nepos Cyrus, ut patet *Daniel.* xii, 65. Cyrus autem sensim crescens viribus et victoriis, tandem anno 27 regni sui aggressus Babylonem, eam cepit, factusque est monarcha, ac tum solvit Judaeos in Babylone captivos. Adde annos 3 Cyaxaris, 38 Astyagis, 27 Cyri, habebis annos 70 captivitatis: illi enim finiuntur anno 27 Cyri. Unde necessario sequitur annos 70 captivitatis Babylonicae inchoandos esse ab anno 13 Josiae, qui, ut ipsi aiunt, fuit 35 Cyaxaris. Hoc autem passim refutant chronologi, qui multo tardius hos 70 annos inchoant, et a 13 Josiae usque ad 27 Cyri longe plures quam 70 numerant. Adde sub Josia fuisse felicem Hierosolymam; ejus vero captivitates cepisse sub Joakim et Sedecia filiis Josiae. *Secundo*, Eusebius in *Chronico*, et alii dicunt Cyaxaren cepisse regnare anno 15 Josiae; non ergo potuit evertere Niniven anno 13 Josiae utpote cum nondum esset rex. *Tertio*, quia Nahum, cap. iii, 7 et 8, significat Niniven evertendam esse post eversionem Alexandriae: Alexandria autem eversa est post Jerusalem. Nam, ut docet Josephus X *Antiq.* xi, et Ezechiel cap. xxx, 17, Nabuchodonosor junior post vastatam Jerusalem, anno quinto invasit et occupavit Aegyptum, cujus metropolis est Alexandria. *Quarto*, favet Jeremias, qui, cap. xxv, 26, inter gentes et reges superandos a Nabuchodonosore juniore, nominat reges Aquilonis: inter hos enim vicinissimus ipsi et Babyloni erat rex Nives et Assyriorum. Unde *Judith* xvi, 3, dicitur: « Venit Assur ex montibus ab Aquilone. » Rursus Jeremias, cap. L, 18: « Ecce, inquit, ego visitabo regem Babylonis, et terram, ejus sicut visitavi regem Assur; » significans non diu post Niniven pari modo evertendam Babylonem, scilicet post 34 annos: tot enim sunt ab anno 24 Nabuchodonosoris junioris, sive Magni, quo ipse Niniven evertit, usque ad 27 Cyri, quo ipse cepit Babylonem, eaque eversa fecit se monarcham.

Videtur ergo quod Nabuchodonosor Magnus sensim crescens armis et victoriis, excisa Jerusalem, tandem anno regni sui 23 invaserit Aegyptum: qua occupata, anno 24 ausus est tentare arcem monarchiae, puta Niniven, aditus a Cyaxare, eaque capta monarchiam ex Ninive transulit Babylonem, sequae ejus primum fecit monarcham. Unde ab hoc anno, utpote primo monarchiae, annos ejus numerat Daniel cap. ii, 1, ut ibi dixi. Ita censet Ribera, Serarius in *Tobie* cap. xiv, *Quaest.* IV, et Tornielus, anno mundi 3432, qui et addit Niniven seprius captam esse. Nam ipsa rebellans identidem Chaldaeis, utpote jugi impatiens, quae ceteris dominari assueta erat, *primo*, capta est ab Arbace Medo, cum ei rex esset Sardapanalus, paulo post predicationem Jone ante tempora Nahum. *Secundo*, capta est sub Asarhaddon filio Sennacherib a Merodach Baladan, rege Babylonis. Unde post Asarhaddon in Scriptura nulli amplius nominantur reges Assy-

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Respon-

deo Niniven excisam post Jerusalem a Nabuchodonosore.

riorum, sed Babyloniurum duntaxat. Hinc Asarhaddon devictum esse a Merodach Baladan, sub annum 27 Ezechiae regis Juda, censent Josephus lib. *Antiq.* cap. iii, Bellarminus, Genebrardus et Tornielus in *Chron.*, anno mundi 3333, qui et anno mundi 3384, seriem regum Babylonis illius aevi ita recensent. Nabonassar regnavit annis 26, deinde Merodach Baladan annis 62, post hunc Ben Merodach annis 24; mox Nabolassar (sive Nabuchodonosor senior) annis 21, denique Nabuchodonosor junior annis 44. *Tertio*, capta et subacta est plene et plane Ninive a Cyaxare et Nabuchodonosore juniore, anno regni ejus 24. Denique post reditum Judaeorum e captivitate Babylonica, tempore Xerxis, ut vult Ribera, vel Artaxerxis, ut alii, alius in Ninive regnavit Nabuchodonosor, qui in Judaeam misit Hololemem; quem occidit Judith, cap. i, 5. Vide ut Deus premat urbes superbas et superbos, idque toties quoties cervices et cornua erigunt.

Ad *primum* argumentum prioris sententiae respondeo Cyaxarem, incipientem regnare in fine regni Psammithici, potuisse facile perungere ad tempora Ephree, qui Psammithici fuit pronepos: Cyaxares enim regnavit annis 40. Certum vero est eum fuisse coevum Nabuchodonosori juniore; hic enim cepit regnare anno 3 Joakim filii Josiae, *Daniel.* i, 1. Cyaxares autem regnare cepit anno 15 Josiae, qui 31 annis regnavit. Unde sequitur Cyaxarem 18 annis tantum regnasse ante Nabuchodonosorem, et eum eo regnasse annis 22: universim enim regnavit annis 40.

Ad *secundum*, respondeo Eusebium et S. Hieronymum confuse loqui de tempore excidii Ninives, illudque sub Josia consignare; quia Cyaxares cepit obsidere Niniven sub Josia; sed invadentibus Mediam Scythias, obsidionem intermisit per 28 annos, ut paulo ante dixi: post quos cum Nabuchodonosore juniore obsidionem resumens et instaurans, Niniven cepit, et vastavit anno jam dicto. Hinc S. Hieronymus ait eam vastatam sub Astyage, quando nimirum Cyaxares senescens Astyagem filium regni consortem, imo moderatorem effecerat; quod utique non fuit sub Josia, sed diu post.

Hinc rursus Eusebius non satis sibi constat. Nam initium regni Cyaxaris consignat anno 13 Josiae, expugnationem vero Ninives anno 28 Josiae, et rursus quarto Joakim. Unde sequitur eum expugnasse Niniven anno regni sui 13, vel certe 20, cum ex adverso ex Herodoto constet 28 annos ut minimum elapsos, inter initium regni ejus, et obsidionis Ninives, usque ad ejus expugnationem.

Ad *tertium*, respondeo Septuaginta dare Tobiae juniore non tantum annos 99, ut habent Latina Biblia, sed 127; quos si numeres, pertinges ad annum excidii Ninives a me paulo ante designatum. Adde aliquos, ut Serarium, hos 99 annos computare a morte patris; quibus adde annos 63

Ad primum aliorum respondentium.

Ad secundum.

Ad tertium.

quibus cum patre in captivitate vixit, ac facilio eum fuisse duorum tantum annorum, cum in captivitate venit, conficis eum universim vixisse 164 annos, ita ut perlegerit ad annum 24 Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive.

Ad *quartum*, respondetur Josephum dicere hanc prophetiam Nahum impletam post 115 annos, quia tunc cepit impleri; tunc enim cepit Cyaxares obsidere Niniven: perfecte autem completa est post 28 annos Cyaxaris, uti jam ostendi. Adde Josephum errare, dum dicit Nahum cepisse prophetare sub Joathan: cepit enim sub ejus nepote Ezechia, uti dixi in Prooemio.

Denique facilis erit synchronismus illorum temporum, si Cyaxari, qui Eusebius dat tantum 32 annos regni, addas decem ex annis Astyagis filii ejus, qui patre senex regnum administrabat, eaque de causa hi anni dantur ab historicis Astyagi, non Cyaxari; ideoque S. Hieronymus, Praefatione in *Jonam*, ait Niniven expugnatam ab Astyage, non a Cyaxare: nam additis Cyaxari 10 annis, annus 42 Cyaxaris incidet in annum 24 Nabuchodonosoris junioris, sive Magni, qui ipse vastata Aegypto, cum copiis Cyaxaris expugnavit Niniven. Successit deinde Cyaxari filius Astyages, qui solus regnavit 28 annis, ac deinde Cyrus, qui 27 anno regni sui solvit captivatem Babylonicam, quae jam 70 annis duraverat; hos enim 70 annos invenies, si eos inchoas ab anno 11 et ultimo Joakim, qui fuit Cyaxaris 27; adde enim reliquos Cyaxaris annos 15, Astyagis 28, Cyri 27, habebis annos 70 quos querimus. Ex dictis sequitur imperium Ninives et Assyriorum stetit annis 1440; tot enim fluxerunt ab anno primo Nini conditoris Ninives, qui 43 annis praecessit nativatem Abraham (nam anno 43 Nini natus est Abraham, ait Eusebius in *Chronico*.) usque ad annum 24 Nabuchodonosoris, quo eversa est Ninive. Ita Ribera. Haec de chronologia adeo vestusta, ideoque incerta et obscura, dicta sufficiant.

CONTEMPLARE (o Ninive) VIAM — qua adventant Medi et Chaldaei magnis agminibus, ut te obsideant et perdant. Ita enim solent civis obsidendi curiosi et anxie intueri vias, per quas adventant castra hostium, urbem obsessura. Via ergo ponitur pro viatoribus, puta hostibus, metonymice (1). CONFORTA LUMBOS, — q. d. Quidquid habes virium collige, ut hostibus resistas. Vires enim hominis magna ex parte site sunt in lumbis; unde

(1) Recte Rosenmuller: « Επιστάσις: vates Ninivitas ad urbem defendendam excitat. Solent qui hostes a finibus suis repulsuros, aut impetum eorum superaturos esse confidunt, propugnacula undique firmare et custodire, speculis erigere, et cubus adventantes hostes ceruere possunt, arma sumere, et ad praelium esse parare, omnes denique colligere et roborare vires. Haec omnia sollicite facturos Assyrios videt, sed nihil quidquam effecturus, unde eos salis ridens eis exclamat: Custodi obsidionem, accurate observa, » etc.

Ad quartum.

Monarchia Assyriorum statuta ante 1440.

infirmi vocantur *chumbes*; et cum hominem vel animal debilitare volumus, lumbos illi infringimus. Ita Plautus in *Amphitruo*: « Si me, inquit, irritassis, hodie lumbifragium hinc auferes, » q. d. Si me irrites, infringam tibi lumbos. Ex adverso de muliere forti ait Sapiens *Prov. xxxi, 17*: « Accinxit fortitudinem lumbos suos, et roboravit brachium suum. » Porro confortantur lumbi, si manu, cingulo, similive vinculo stringantur. Unde Septuaginta vertunt: *Tene lumbos, viriliter age.*

**ROBORA VIRTUTEM VALDE.** — « Virtutem, » id est vires; Hebraeus, *fortisq. robur valde*; Septuaginta, *roborare vehementer*; Chaldaeus, *corrobora vires valde*; Tigurina, *omnibus modis instrue copias*; hæc enim sunt vires urbium, puta civium et militum copia.

Tropologica de robore animæ.

Tropologica S. Hieronymus: « Tria, ait, precipiuntur Judæ, » id est Ecclesie, et animæ fideli: « *Primum*, ut contemplerur viam, et iter per quod ambulaturus est diligenter aspiciat, juxta illud *Jerem. vi, 16*: « State in viis, et interrogate semitas æternas, et videte quæ sit via bona, et ambulata in ea, ut, cum steterimus in viis multis, veniamus ad eam viam que dicit: Ego sum via. *Deinde* dicitur ut et teneat lumbum, id est, ut post electionem vitæ, morificet corpus suum et servituti subjiciat, ne quasi rex et magister aliis prædicans, ipse reprobis inveuiatur, quod virtus diaboli vel maxime sit in lumbis, *Job xl, 14*; et quod Joannes zona pellicea cingitur, *Matth. iii*; et quod a Salvatore discipulis imperatur: « Sint lumbi vestri præcincti, *Luc. xii*; et Apostolus *Ephes. vi*: « State ergo sicut cincti lumbos vestros in veritate; licet enim *Evangelium* præstet, et viæ continentia super mortificatione lumborum, tamen nihil esset ita mortificat, ut cognitio veritatis. Unde dicitur: Accingite lumbos vestros in veritate. Si enim veritas est Christus, qui tota in Christo mente creditur, lumbos suos mortificavit in Christo. *Tertio*, precipiuntur: Confortare virtute nimis. Elegisti, inquit, viam, tenuisti lumbum; assume virtutem, ut possis pugnare cum hostibus. Et ne forte diffidas, datur tibi causa cor speres. Avertit, inquit, Dominus contumeliam Jacob, quam scilicet solebat Jacob aliis facere. Non enim tante virtutis est ab aliis factam injuriam sustinere, quantæ gratiæ homini est placidum, mitem atque tranquillum injuriam facere non posse. Israel ergo, id est sensus vel vir videns Deum, et semper de Deo cogitans, facere nescit injuriam. »

Ar. 2.

**2. QUIA REDDIDIT DOMINUS SUPERBIAM JACOB, SICUT SUPERBIAM ISRAEL.** — Pro *superbiam* hebraice est *INQ. geom*, quod et superbiæ, et magnificentiæ gloriæque significat. Unde Chaldaeus, Vatablus et Arias vertunt: *Recebit magnificentiæ Jacob, juxta majestatem Israel*, id est juxta pristinam dignitatem, q. d. Resituet Dominus per Cyrum Israeli pristinam majestatem et gloriæ, quam

obscuraverat Assyrius et Babylonius spoliando Judæos omnibus bonis, eosque captivos ducendo in Babylonem. Jacob enim et Israel videtur accipi pro eodem, scilicet pro Judæis. Sic Isaias, cap. *lx, 15*, ait: « Ponam te in superbiam, » id est magnificentiæ et gloriæ, « sæculorum. » Et cap. *lxi, 6*: « In gloria ærum superbietis, » id est gloriabimini. Sic et Virgilius, *J. Eneid. 1*:

Hinc populam late regem belloque superbam,  
Venturum exiitio Libyæ.

El lib. III:

Barbarico vectes auræ spoliisque superbi,

id est magnifici. Unde Syrus vertit: *Quia restituit* (reducit: vox enim Syra proprie dicitur de re que in captivitate, prædam vel perditionem redacta, pristino statui restituitur) *honorem vel gloriam Jacob, sicut honorem vel gloriam Israelis*. Sic et Arabicus Antiochenus (1). Verum melius alii passim *superbiam* hic proprie accipiunt, idque duplici sensu. Prior est, ut superbia Jacob et Israel captiuræ passivæ, pro ea quam ab Assyriis passus est Jacob et Israel. Sic Deus vocatur noster amor, timor, spes, patientia, passivæ et objectivæ, scilicet qui a nobis amatur, timetur, speratur, propter quem patimur, q. d. Obsideberis et vastaberis, o Ninive, quia Deus ulticis destinat superbiam, quam rex tuus Sennacherib, tuique Assyrii exercuerunt in Jacob, id est in Judæos, insultando illis per Rabscacem; æque ac superbiam, quam

(1) Varii variis hunc versum explicant ob ambiguitatem nominis *INQ. geom*, quod tam in bonam quam in malam partem usurpari solet. Diversitatem interpretationis annotantur et antiquiores et recentiores interpretes, v. g. Sanctius, Christophorus a Castro, Rosenmüller, Kreenen, etc. Qui statuunt *geom* hoc loco in malam partem usurpari, vertunt *superbiam*, eamque vel *passivæ* accipiunt, pro ea nempe *superbia*, quam ab Assyriis passi sunt Hebræi; vel *active* explicant de fastu Hebræorum: verum argumenta, que pro sua sententia, ut videri potest apud Rosenmüllerum et Kreenen, afferunt, multa arbitraria continent; quare adstilantur eis, qui *geom* in meliorem partem accipiunt, ut *gloriam excellentiamque*, sive *felicitatem rerum conditionem* notat, adeoque, ut observat Rosenmüller, a his verbis continetur benigna promissio, qua Deus recuperanda pristina dignitas Judæis spem facit, fore ut cum eos hæcenus sat dure castigaverit, iram porro suam in Assyrios effusus, illos vero pristinae felicitatis redditorus..... sicut rationem exercitus Niniven regredientis ad eam obsideam et expugnandam reddit (Ackermann). Neque igitur, ait Rosenmüller, nexus hujus versus cum his que præcedunt et sequuntur ita difficilis est, ut vix ac ne vix quidem inveniri possit, que Sennacherib erat opinio; quare eum ex justo suo loco excidisse et casu quodam hoc rejectum esse, atque post cap. 1, 13, reponendum esse existimavit; quam conjecturam secutus est Kreenen. Sed quod idem Rosenmüller, ait Maurer, præmissum posteriori hemistichio *כי כי* significare vult *quoniam*, in eo errat. Quæmadmodum enim hemistichium prius causam reddit versus superioris, sic posterior hemistichium rationem affert hemistichii prioris hujus *geom* versus.

idem exercuerunt in Israel, id est in Samaritanam et decem tribus, vastando illas per Salmanasar. Ita S. Hieronymus, Remigius, Hugo, Lyranus; imo et Septuaginta vertunt: *Avertit Dominus contumeliam Jacob, sicut contumeliam Israel.*

Posterior est, ut superbia Jacob et Israel proprie et active capiatur pro fastu Judæorum et Israelitarum, quo tumantes et turgidi sibi vivere voluerunt, Deo subesse et obsequi noluerunt, q. d. Reddam in caput Ninives, puniamque et excidam ejus superbiam; quia « reddidi, » id est reddam et puniam, superbiam Jacob, id est Hierosolymæ et Judæorum, excidendo eos per Nabuchodonosorem et Chaldaeos, sicut reddidi, punivi et excidi Israelum sive decem tribus per Salmanasar et Assyrios. Si enim non parco populo meo fidei, multo minus parcam hostilibus meis, puta infidelibus Assyriis; sed sicut illius superbas cervices per Chaldaeos contudi, ita et horum contundam; præsertim quia ipsi huic populo meo injuri fuerunt, atque ad hoc tantum ipsos, ipsorumque injurias ad tempus permisi et toleravi, ut per eas castigarem populum meum: at nunc eo satis superque castigato, Assyriis castigatioribus ultra non indigeo; castigabo ergo et ipsos, ac virgam, ut vulgo dicitur, in ignem conjiciam. Ita Clarius et Arias. Hunc esse sensum probatur *primo*, quia juxta eum proprie accipiunt superbia Jacobi et Israelis. *Secundo*, quia eum exigunt sequentia: « Quia vastatores, » puta Chaldaei, « dissipaverunt eos; » Chaldaeorum enim mox clypeos, arma, vires, ardorem, vim et impetum fuscè describit a vers. 3 usque ad 8. Unde Arabicus Alexandrinus vertit: *Quia Dominus contempsit Jacob secundum contemptum Israel.*

**QUA VASTATORES DISSIPAVERUNT EOS.** — *Primo*, S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Lyranus, Arias et Vatablus per *vastatores* intelligunt Assyrios, q. d. Assyrii vastarunt et dissiparunt Israelum, id est Samaritanam et decem tribus, per regem suum Salmanasar; et Jacob, id est Jerusalem et Judam, per Sennacherib. *Secundo* et melius, per *vastatores* cum Theodoro et Theophylacto accipias Chaldaeos, qui ut Hierosolymam et Judæos, ita pariter Niniven et Assyrios vastarunt et spoliarunt. In Hebræo est *pulchra paronomasia* *כי בקקום בוקקום כי* becaum bokekin, id est, *quia evacuaverunt eos evacuantes bonis*, ut vertit Pagninus; et Tigurina: *Directores diriverunt eos*; et, ut Vatablus: *Spoliatores spoliaverunt eos*. Sequitur:

**ET PROPAGINES BORUM CORRUPERUNT.** — q. d. Sicut apri, vel hostes vastantes vineam, singulas vires, earumque propagines evellunt, disjiciunt et corrumpunt; ita Chaldaei vastantes Niniven, æque ac Hierosolymam, singulas ejus familias, hæc singulos ejus cives et incolas disperdent et corrumpent, vel occidendo eos, vel in captivitate abducendo. Nota: Propagines urbium, v. g. Nivivos, *primo*, accipi possunt suburbia, pagi et oppida, quæ a metropoli derivantur et depon-

dent, eamque ornant sicut propagines, sive palmites vitæ. Ita Chaldaeus et Arias. *Secundo*, tribus et familia. Ita Albertus et Hugo. *Tertio*, filii et nepotes. *Quarto*, messes et opes, quas de anno in annum accumulabant Israelitæ: Assyrii enim singulis pene annis invadebant terram Israel, eamque suis bonis quæ accumulata, spoliabant. Has vocat propagines corruptas, inquit Vatablus; verum jam dixi hæc de Chaldaeis Niniven, æque ac Jerusalem expilantibus, non de Assyriis accipiendi esse. Ninivitarum ergo, æque ac Judæorum messes et opes, vocat eorum propagines, quas identidem invasit et carpsit Nabuchodonosor. Unde de eo subdit:

**3. CLYPEUS FORTIUM EJUS IGNITUS.** — De Chaldaeis nunc loquitur in plurali, dicens: « Vastatores dissipaverunt eos; » nunc in singulari, dicens: « Clypeus, » id est clypei: quia exercitus est unus collectivè, sel multus distributive; multos enim continet milites, sicut civis multi faciunt unam civitatem, et multe familie unum populum, ac multe gentes unam regnum et imperium. Respicit ad initium capitis: « Ascendit qui dispergat coram te. » Ascendit scilicet Nabuchodonosor, ejusque exercitus. Unde de eo, ut ipse singulari, singulariter hic ait: « Clypeus fortium ejus ignitus, » q. d. Chaldaei et Medii vastatores tui, o Ninive, clypeos habent ex auro vel aurichalco, qui solis repercussu rubei et igniti videntur, ideoque terribiles sunt et formidabiles, juxta illud Virgili, *Æneid. X*:

Terribiles cristis galæam, flammisque vomentem.  
Ardet apex capiti, cristisque a vertice flamma  
Fumiliter, et vastos uno vomit aures ignes.

Hebraice enim est: *Clypeus fortium ejus* *מגן מלחמה* meadim, id est *rubeus*, ut vertit Chaldaeus; vel, ut Pagninus, *rufefactus* (1); Tigurina: *Parmæherum illius rubet* instar ignis vel fulguris; Syrus: *Clypei gigantum* (fortium eorum *rubescent*, et viri gigantes (fortes) *videntur lampadius ignis* (ignitis) et in curritus in die qua præparantur; Arabicus: *Clypei gigantum eorum rubescentes emicant*, et viri gigantes *constristat ignem*; Septuaginta alii punctus legentes *מומאין meudain*, id est ex homine,

(1) Ad *מגן מלחמה meadim*, Rosenmüller: « Clypeos esse (ait rubeos, vel quod eum colorem olim clypei referent ad metum incutendum hostibus, vel quod sanguine rufefactos clypeos gestarent, quod signum esse credebatur boni militis, utpote qui ex hostium sanguine clypeum tinxisset. » De clypeo sanguine tincto cogitat Winerus quoque, *Rev. n*, pag. 482, ait Maurer. Hitzigius indicari vult ignem cum rubore conjunctum fulgorem cupri clypei obducti (*Jos. Arch. XIII*, xii), col. 1. *1 Machab. vi*, 39. Cf. Virgilius *Æneid. II*, 734: « Ardentes clypeos atque æra micantia cerno. » Possit etiam de nitore cum rubore commixto cogitare clypei obducti corio lœvino, Hierodotus VII, xxi; *Ibid. V*, 452; *XII*, 425; *Urbescol. II Sam. i*, 21; *Jesaj. xxi*, 5: cf. Virgilius *Æneid. VII*, 626: « Pars laeves clypeos et spicula lucida tergunt Arvina pingui. » (Maurer.)

vertunt : *Arma potentia eius ex hominibus*, nimirum quia viri exercitus in coccineis, ut sequitur. Graphice Propheta hic depingit clypeos, arma, robur, animos et impetus Chaldaeorum, ut his percellat Niniven et Assyrios. *Primo* ergo primorum eorum aciem clypeis instructam hic depingit, q. d. Primpilii Chaldaeorum clypeis et parmis aureis instructi castra praebunt, ut his omnia erunt et generosi. Quocirca generose et strenue te, o Ninive, oppugnabunt; non fugient ut plebei et gregarii milites; hoc enim aestimabunt sibi esse dedecus: sed malent occumbere quam fugere, ut suum decus et gloriam tueantur. Ita Hispani hoc bellum celebrant axioma: «Capitaneus, qui venatur famam et gloriam, oportet ut parvi faciat vitam.» Inde secundo, secundam aciem describit dicens:

VIRI EXERCITUS IN COCCINEIS. — q. d. Milites Chaldaeorum erunt nobiles, ideoque vestientur chlamydis coccineis: coccus enim erat nobilem, imo regum vestis, ut dixi Thren. iv, 4, ad illud: «Qui nutriebantur in croceis,» hebraice, in coccineis. Unde Tigurina vertit: *Viri militares purpurati sunt*; Pagninus: *Viri exercitus, induiti vestibus vermiculatis*. Color hic coccineus, utpote sanguineus, representat Chaldaeorum feritalem, quod sanguinolenti sint futuri, multumque in Ninive sanguinem fursi. Ita Remigius, Albertus et Arias. Quocirca S. Joannes magnum illum et horribilem exercitum, qui in fine mundi occidet tertiam partem hominum, vidit habentem loricas igneas, hyacinthinas et sulphureas, Apoc. ix, 17. Ita Romani, conflicturi cum hoste, signum praели exponebant in praetorio, tunicam russam, sive coccineam, quin et eadem inducebantur milites, indeque russati dicebantur, ut ex Plutarcho in Fabio et in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius lib. IV *De Militia Romana*, cap. xii. Idem fecere subinde Graeci. Nam Plutarchus agens de pugna Antiochi cum Cleomene: «Quiescere, inquit, quosdam jussit, donec a rege sublata esset punicea vestis super sarissam extensa.» Et Homerus, *Iliaide* 9, agens de Agamemnone suos ad pugnam vocante: «Purpuream endo manu valida tollens sibi vestem.» Quocirca et milites in galeis cristas gestabant rubras, sive puniceas, appositae utique sanguineo Marli. Hinc Virgilius, *Aeneid.* IX: «Cristaque tegit galea aurea rubra.» Et iterum: «Purpurei cristis juvenes.» Diodorus, lib. VI, idem Hispanos factitasse docet: «Circum capita, inquit, galeas aeras ponunt, puniceis ornatas cristas.» De Cyri exercitu Xenophon lib. VI *Peditum Cyri*: «Universis, inquit, exercitus aere fulgurabat, puniceoque florebat ornatu.» Causam dat nosler Martinus de Roa lib. I *Singul.* cap. ii, ut scilicet sanguis, si quis ex impresso vulnere esset expressus, absorberetur a cocco: tum illi confidentius, et sine pavore dimicarent. Hoc verius in sanguine Christi, qui nostra est purpura

Milites olim vestiebantur coccineis, cur?

et coccinea vestis, ait S. Ambrosius in *Psalm.* cxviii, serm. 17. Hic enim animas tingit, ex hisque quasi ebibit sanguinem peccatorum: «Lavit enim nos a peccatis nostris in sanguine suo.» Rursum hic nos accendit ad acriter preliandum cum demone, carne et mundo. Nil enim ita acuti animos in hostem, quam acceptae injuriae species oculis objecta. Haec enim dolorem oculis affert, animo iracundiam: quae duae in bello faeces. Addit secundam cap. iii, scilicet Gentiles credidisse quod coccinea vestis tutos praestaret in prellis et periculis. Unde et olim pueris christianis funiculus coccineus ex collo suspendebatur, ad avertendum fascinum, et quaevis discrimina, uti recenset et redarguit S. Chrysostomus, homil. 12 *in epist.* I ad Cor. cap. iv, Egyptii quoque quotannis omnes arbores, pecora et alia multa rubrica illinebant adversus incendium, et alia incommoda, teste Epiphonio haeres. 18; quam superstitionem videntur hausisse ex eo, quod filii Israel servati sint ab angelo percutiente, illinendo postes sanguine agni paschalis, *Exodi* xii. Tertiam dat lib. IV, cap. vii, quod coccineus color, sive purpureus, ad ignem accedat, igneque animi sit index et stimulus: unde purpureum cum dieis, purum urentem, puta ignem, dicere videris. Purpureum igitur et rosea colorem praese fert, et ignis splendorem. Unde Ignis a Poetis vocatur purpureus, et purpurea ignea. Symbolicam dat ibidem cap. viii, quod qui in pugnam descendunt, pro anima dimicant, quae consistit in sanguine, quem representat coccus sive purpura. Unde Virgilius XI *Aeneid.*:

Purpuream vomit ille animam.

Hic ergo color maxime animos facit, in hostesque commovet, quos scimus cruorem expetere, aut etiam effundisse.

Tropologie, coccineis milites Christi sunt martyres, qui sanguine suo purpurantur, eumque sanguini Christi libentes, imo gaudentes rependant: qua de causa Cardinales purpura vestuntur, ut ostendant se paratos pro Christo et Ecclesia sanguinem fundere, uti dixi *Ezechiel.* xvi, 10. Coccinei quoque sunt fideles charitate flagrantes, juxta illud de sponsa, *Cantic.* iv, 3: «Sicut vitta coccinea labia tua,» scilicet, «ut sermo semper charitate ardeat, passione agni et sponsi rubeat, qui semper debet esse in corde, semper in ore, candidus et rubicundus, dulcis Jesus,» ait S. Bernardus *De Passione Domini*, cap. xxxi. Tertio, igneos eorum curtus ita describit:

IGNEE HABENT CURTUS IN DIE PREPARATIONIS EJUS. — «Igneae,» id est aureae, quae radiante sole, fulgida et ignita videbuntur, uti ante de clypeis dixi: «Jam in ardentibus,» loris et habenis, ait S. Hieronymus, «velocitatem preparantium significat, et quasi tria exercitus preparantium se ad praelium pompa narratur.»

Nota: Chaldaei, aequae ac Romani olim nobiles

et milites, loti erant in armis; ac, si equites essent, in frenis et equis adornandis. Audi Juvenalem, *Satyr.* xi:

Argenti quod erat solis fulgebant in armis. Magnus artibus frangebat pocula miles, Ut phaleris gauderet equus.

Et Virgilius, *Aeneid.* IV, de Aenea:

Alphei illi stellatus jaspide fulva Ensis erat.

Et lib. VII, de equis quos Latinus rex Aeneas donavit:

Tauris jubet onino duci Instratos ostro alipedes, pulvisque tapetas. Aurea pectoribus demissa monilia pendunt. Tecti auro fulvum mandant sub dentibus aurum.

Pro habenis, ut vertit Noster et Septuaginta, hebraice est *פדודת peladoth*, quod per metathesin positum pro *לפידות lapidath*, id est lampades, tēdas, faeces accipiunt Chaldaei, Tigurina, Vatablus, Pagninus et Rabbinus; unde vertunt: *Currus expeditionis eius tempore erunt vehuti ignis lampadarum*, vel faecum, q. d. Currus falcati ipsius Nabuchodonosoris venientis oppugnantum Jerusalem, videbuntur quasi ignei, vel circumdanti igne, qui excitabitur ferro rotarum celeritate agitarum, aliso ad saxa et silices. Hae phrasae indicat violentiam et velocitatem, rapidumque cursum, et quasi volatum currum. Addunt aliqui curribus hisce annexas fuisse faeces et tēdas ardentes, quibus obvius et obviam comburent, perinde ac iisdem annexae erant falces (ex quibus falcati vocantur) ad omnia reseccandum et demetendum. Unde Chaldaei vertit: *Igni faeces currum eorum apparatus sunt*. Hinc et de iisdem subditur: *Aspectus eorum quasi lampadarum, quasi fulgura discurrentia*.

ET AGITATORES CONSOPITI SUNT. — Sytus: *Equites validi obstupescunt, q. d. Medi et Chaldaei, currum et equorum agitatores peritissimi et fortissimi, ebrietate consopiti* (ita nimirum ut sopiant apprehensionem et metum praели, non sensus et animos praeliandi; sed eos potius vino actuati et accendunt, ut fit in semihebris) intrepide contra Ninivitas in praelia et arma ruent. Ita hodie videmus Cozacos, Hollandos, tibernos, aliasque nonnullas gentes pugnatras, vino adusto se opplere, ut aadaoes ignescere, et ignem spirare videantur, itaque interritis in hostes et enses ruere. Huc pertinet expositio Sanchez, q. d. Chaldaei in gradiendo et pugnando adeo erunt ardentes et praecipites, ut furor illis et vinum omnino mentem et consilium eripuisse videatur. Pro agitatores hebraice est *ברוסים berosim*, id est abietes. Unde Vatablus et Arias vertunt: *Abietes, id est lanceae et hostes Chaldaeorum abietes, veneno infecte sunt*, ut omnes perderent; Pagninus, et *abietes tremuerunt*, id est duces Assyriorum, qui sunt instar

abietum, in Ninive tremore correpti sunt, dum viderent currus et equites igneos Chaldaeorum se invadentes. Verum Noster vertit, *agitatores*; et Septuaginta, *equites*, qui in curribus stantes caeli erant, duri et fortes, quasi abietes. Sic enim Phario erectus et gloriosus comparatur abieti, cedro et platano, *Ezech.* xxxi, 8. Forte pro *ברוסים berosim* legunt *ברוסים berosim*, id est in capite eorum, puta duces et ductores currum, hoc est eorum aurigae et agitatores. Unde Chaldaei vertit, *magnates*. Hi enim sunt quae aurigae currus politici, id est republicae. Unde Elias dicitur: «Pater mi, currus Israel et auriga ejus,» *IV Reg.* ii, 12. Rursum pro *consopiti sunt*, hebraice est *חורקו horaku*, quod derivatur a *ראול raal*, id est venenum mortiferum, tremor, sopor; item *mitra*, vel corona tremula. Quocirca *horaku* primo verti potest, *consopiti sunt*, ut vertit Noster; secundo, *mirati* vel *coronati sunt*, quasi nobiles nobilium currum agitatores et praesides. Unde Chaldaei vertit: *Et magnates eorum coruscant vestibus coloratis; tertio, veneno infecti sunt; quarto, tremuerunt, vel conturbabuntur*. Unde Septuaginta vertunt: *Equites eorum tumultuabuntur, q. d. Equites et aurigae praenúmero, festinatione, violentia et impetu in visis nimis sibi angustis occurrentes tumultuabuntur, ita ut quadrigas inter se collidant. Hinc videtur quod haec, aequae ac praecedentia et sequentia, ad Chaldaeos Niniven obsidentes spectent, non ad Assyrios obsessos; nam Chaldaeorum quadrigas bellicas, uti cepit, ita pergit in sequentibus depingere.*  
Ad Assyrios tamen haec refert S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Hugo, Lyranus, Ribera et a Castro, quasi dicat: *Velociter ad vastandum Niniven venient Chaldaei, cum Assyrii equites antea in agitantibus equis egregie et celebres, vel crapula, vel desidia, vel pavore fuerint consopiti*. Hi enim proprie dicuntur consopiti: cum Chaldaei potius agiles essent, vigiles et acres ad praelium. Et hoc proprie significat hebraicum *horaku*, id est soporati sunt, contremuerunt, consternati sunt, ac si venenum mortiferum bibissent. Quocirca hic sensus de Assyriis planior et germanior videtur. Nec obstat quod ante et post de Chaldaeis agat Nahum; quia solent Prophetae personas saepe mutare, et ab una ad aliam, quae cum priore item vel rem habet, transire; idque silenter et tacito nomine. Sic hic currus, alias in eorumum et currum agitatione et aurigatione illustris et famosi, corruerint, ac quasi exanimis obstupuerunt, et consopiti sint. Unde de iisdem ait vers. 13: «Succedant usque ad fumum quadrigas tuas.»

4. IN ITINERIBUS CONTURBATI SUNT. — Assyrii scilicet agitatores equorum et currum, de quibus immediate ante locutus est Nahum. Hi enim desperantes de salute, more amentium discurrabant.

Vers. 4.

per urbem, scilicet Niniven, a Chaldeis obsessam. Ita Theodoretus, Theophylactus, Vatablus et a Castro. Mosis S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo, Lyranus et Arias hæc referunt ad Chaldaeos: horum enim curus bellicos, vim et impetum describit, hosque paulo post comparat fulguribus, q. d. Chaldaeorum curus et quadrigæ tanto numero et impetu discurrunt per plateas Ninives, ut sese invicem conturbent et collidant, ac collisione scintillas flammæ excipient. Unde adeo erunt terribiles, celeres et violenti, ut quasi lampades igneæ, hoc est ignis et fulgura discurrant, esse videantur: « ut ante visu adversarios terreat, quam mucrone prosterant, » ait S. Hieronymus. Pro conturbati sunt hebraice ערעורו *itholelu*, quod Pagninus proprie verit, insanient, id est instar insanorum discurrunt, inquit Vatablus; Chaldeus, *perstrupt*; Septuaginta, *confunduntur*; Tigurina, *tumultuabuntur*. Sic de Cneo et Publico Scipionibus dixit Poeta: « Duo fulmina belli Scipiæde. » Sic et Cherubini, milites Dei, ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis, *Ezech.* I, 14. Vide ibi dicta. In fulgure notatur splendor velocitatis conjunctus, qui oculos perstringit, et animi vehementer percellit: hinc fulgur in Scriptura symbolum est terroris, et rei formidabilis. Chaldei ergo comparantur fulguribus discurrantibus imitatione splendoris, celeritatis et efficacie ad terrendum penetrandumque, propter cataractæ equitis Babylonici et Persici, quem Heliodorus, lib. IX *Hist. Æthiop.*, describit, rutilantia arma, et præpetem cursum. Ita Cyprianus monachus Cisterciensis in hunc locum, et Delrio *adagio* 997. Denique galæe Chaldaeorum aureæ solis repercussu fulgurabant; forte etiam in iis fulgura depingebant, ut magis terribiles et fulminei viderentur, juxta illud Statii, lib. III: « Fulmine cristatum galæa jubar. » *Secundo*, « aspectus eorum, » scilicet Chaldaeorum, erit minax, ardens, fulgureus, ut ex oculis emicat furor et ardor sævitiæ. Sic de Verre ait Cicero: « Ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. » Et Seneca in *Œdip.*:

Ardent minax igne truculent genæ,  
Oculique vix se sedibus retinent suis.

Et Virgilius, *X Æneid.*:

Iis agitur faris, totoque ardentis ab ore  
Scintilla abstant, oculis micat acris ignis.

Ita Sanchez.

Tropologie, hæc omnia facile est adaptare Lucifero. Hic enim est noster Nabuchodonosor, hostisque fulmineus, cujus jacula ignita, ut ait Apostolus *Ephes.* vi, 16, sunt ardentes tentationes et concupiscentiæ, quas in carne nostra suscitavit. Hujus milites sunt demones innumeri, qui quasi fulgura discurrunt, ut homines perdant: eorum enim odio et invidia flagrant, ideoque in ipso-

rum perniciam conjurant Quocirca S. Petrus, *epist.* I, cap. v, 8: « Sobrii, inquit, esote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide. » Et S. Paulus, *Ephes.* vi, 11: « Induite, ait, vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in coelestibus. » Vide ibi dicta, et dicenda hic cap. III, 4.

3. RECORDABITUR FORTIUM EJUS. — Hic versus et Vers. 4. ad obsessos Ninivitas, et ad obsessantes Chaldaeos pertinere potest. Si ad obsessos, sensus erit, q. d. Ninive ejusque rex recolet et recensebit omnes suos fortissimos duces et milites, eosque mittet ad muros, ut eos propugnent, qui ad eos tanta vi et numero procurrent, ut in viis præserim angustis, sese invicem protrudentes et impingentes, corruant: inde ascendent muros, ibique construent umbracula, vel, ut Septuaginta, *propugnacula*, vel, ut Chaldeus, *turres*, quibus se contra invadentes Chaldaeos, vel etiam contra aeris injurias tuncant, ut longam obsessionem sustinere possint. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Rupertus, Lyranus, Hugo, Clarius, a Castro et Ribera. Si ad obsessantes, sensus erit, q. d. Hostis Cyaxares et Nabuchodonosor suos fortes milites in te, o Ninive, immittent tanta copia et impetu, ut præ festinatione et turba corruant, dum muros tuos ascendunt et invadunt; dumque præparabant et admovebant *umbraclum*, id est testudinem, qua per arietem immisum et impulsum in muros, eos quotient et dejiciunt. Qui enim agebant arietem, delitescabant sub testudine, suffodiens muros urbium. Ita Vatablus et R. David. Erat enim testudo machina bellica hac forma: materia tabulatis erat contexta, et coriis cileicis, aut centonibus, et aliis que difficilen comburi possunt, contexta. Hæc intrinsecus habebat trabem, que uno præfigebatur ferreo, et *fata* vocabatur ab eo quod incurvata esset, et de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis suspensa (que aries dicebatur), ut reducta impetuosius ferret: ideoque et testudo dicta a similitudine reptilis, quod caput nunc exeret, nunc reducat. Reptile autem hoc vocatur *testudo*, a testa qua se contigit et includit, ait Varro. Hinc Silius lib. I:

Tandem condensis arcis testudinis armis,  
Subducto Pœni vallo, cœcæque latera,  
Pendant prolepsam suffossis moenibus urbem.

Hæc testudo dicebatur arietaria, eo quod arietem contineret, et vibraret in mœnia. Ita Procopius lib. I *De Bello Gothico*, et noster Valtrinus lib. V *De Re militari*, cap. vi. Erat enim alia testudo militaris, facilis et vulgaris, nimirum con-

Testudi-  
nis bel-  
licæ for-  
ma.

tinuata a militibus condensatis, scutorum super caput elevatorum series, curvata in formam testudinis, que tecti illius a jaculis hostium subibant muros, eosque vel suffodiebant, vel scandebant. Testudo enim erat quasi scala, qua milites invadentes urbem elevabantur, et condescendebant arcem et mœnia.

Mystice, testudo nostra est providentia Dei, ejusque fides, spes et confidentia. hæc enim nos protegit, et illas ab omni hoste et periculo conservat; imo arietes et tela in hostes nostros contorqueat, quibus eos prostermit. Unde Psaltes, *Psalm.* xc: « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. » Lege psalmum, qui totus est de hac re. In hac testudine sedens David, fidenter proclamavit *Psalm.* xxvi, 1: « Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus protector vite mee, a quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. »

6. PORTÆ FLUVIORUM APERTÆ SUNT. — q. d. Portæ Ninives, que ducunt ad Tigrim, ejus eluvione et hostium irruptione apertæ sunt. Ita Clarius, Vatablus, Dionysius et Chaldeus, qui verit: *Fontes fluviorum exivit sunt*. Unde mox Niniven vocat Propheta  *piscinam aquarum*. Vide que de hac Tigri in Niniven exundatione dixi cap. I, 8. Symbolice, portæ Ninives vocantur « portæ fluviorum, » id est populorum, quia immensa effundebant civium copiam. Sic *Apoc.* xvii, 13, aquæ multæ vocantur « populi multi. » Unde Septuaginta vertunt: *Portæ civitatum apertæ sunt*; civitates enim abundant populo. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Rupertus, Remigius et Lyranus. *Secundo*, Sanchez per fluvios metaphorice accipit copias Chaldaeorum, que muris Ninives quasi aggeribus cohibita, iis vi perruptis, urbem inundarunt et vastarunt (1).

(1) Rosenmüller ad verba: *portæ fluviorum, etc.*, id est portæ, quibus hostes fluminum instar omnia inundant, irrumant, *apertæ sunt*, per aperturas machinis bellicis in muro factis copia hostes instar fluvii rapidissimi in urbem irruunt. *Fluminibus* hostes magna vi et vehementi impetu terram aliquam invadentes comparant, et *Jesaj.* viii, 7 et seqq., *lx*, 19; *Jerem.* lvi, 7 et seqq. « Que interpretatio, quam de Wettius quoque suam facit, justo audaci mihi videtur, inquit Maurer. Ex eo enim, quod locis laudatis aliisque similibus *fluminibus* comparantur hostes irrupentes, minime sequitur, ut portæ, per quas magna hostium copia irrumperet, sine mora dici possint *portæ fluviorum*. Monet Rosenmüller alios interpretes *portis fluviorum* indicari existimare portas urbis sitas juxta flumina, id est ea parte qua fluit amnes, sive qua urbs altatur. Quasi hoc dicatur, hostes ingredi per eam partem urbis, quam Tigris præterlabatur. « Verum quis, inquit, non intelligit, latum rapidumque Tigridis amnem hostes ab illa urbe parte aditu potius arce debuisse? Quid vero, si הוררו *hauru* derivatæ est Tigride canales seu fosse (cf. ad *Jon.* i, 2), שחור *schaur* portæ urbis sitæ juxta illas fossas, eoque portæ a Ninivitis ante oppugnationem ad arcuendos hostes inundatæ, ab hostibus vero, aquis in alium

ET TEMPLUM AD SOLUM DIRUTUM EST. — Templum scilicet Nesroch, opibus et fama celebre, ait Lyranus, in quo Sennacherib adorans, a filiis suis occisus est. Hebraice est הַכֶּלֶל *hechal*, id est basilica, palatium, domus augusta, templum. Unde Septuaginta vertunt: *Regalia*, id est regie ædes, *consecravunt*; Chaldeus: *Res in palatio suo conlevavit*; Tigurina: *Palatium dissolutum est*. Eodem res redit. Nam in palatis reges habebant suæ deorum tutelarium templa, uti Romani in Capitolio habebant templum Jovis Capitolini, Trojanii in arce habebant templum Palladis, ejusque imaginein, quam Palladium nuncupabant. Idem fecit Constantinus imperator, cum in Laterano palatio suo edificavit basilicam Lateranensem. Idem etiamnum faciunt reges et principes, uti videre est in eorum aulis.

7. ET MILES CAPTIVUS ABDUCTUS EST. — Legit in Vers. 7. *עבדו חַטְבִּי hatsab*, id est stans, consistens, puta miles staturus et presidarius pro vallo in statione consistens, ut Niniven contra Chaldaeos propugnaret, a Chaldeis captus et abductus est. Ita S. Hieronymus, Rupertus, Remigius, Haymo et Lyranus. *Secundo*, *hatsab* idem est quod statio, substantia, subsistentia. Unde Septuaginta vertunt: *Et substantia revelata est, q. d. Chaldaei diriperunt substantiam et opes Ninives*. Jam pro *hatsab*, alio puncto legitur passim in *hopsal*, חַטְבִּי *hutsab*, id est statuta, constituta, scilicet vel arx; unde Arias et Tigurina vertunt: *Et mantio ejus firmissima demutata est atque sublatâ; vel uxor regis, sive regina que astare solet regi; unde Chaldeus vertit: Et regina, que sedebat assistens, in captivitatem abiit; et ancilla ejus abducta post eam incedebant gementes, sicut columbae*. Ita Hebraei. Unde Pagninus hebræum nomen *hutsab* quasi proprium reginæ retinuit, veritque: *Et Hutsab regina captiva ducta est, curram jussa est ascendere*.

ET ANCILLÆ EJUS MINISTRANTUR. — q. d. Virgines et matrone Ninives, olim nobiles, nunc captivæ, quasi ancille et mancipia, imo quasi pecudæ, ministrantur a Chaldeis, trahunturque in servitutem, que eorum pavore ejulare non audent: sed quasi columbæ secreto gemunt, et murmurant in corde. Symbolice S. Hieronymus, Rupertus et Remigius per ancillas accipiunt oppidâ, que Ninive metropoli erant subjecta, eique quasi ancillæ serviebant, que omnia cepit, vastavit et captivavit Nabuchodonosor. Aliter Sanchez, qui hæc arctat ad milites custodes templi, de quo proxime præcessit; ac consequenter per ancillas accipit feminas religiosas que se templo dicarant, ut Dei sui cultum, sacra et nitorem curarant. Sic

cursum deflexis siccatæ et apertæ, ut a Cyro factum in expugnanda Babylone legitimus in Xenophonis *Cyropædia*? cf. ad *Jesaj.* lxxi, 3. Que tam altos et lato muris habebat urbs (Diodor. Sicul. II, m), factus expugnabatur derivandis fossis quam rumpendis mœnibus. Non obstat huic meæ interpretationi ante memorata vinea adrocta muro. Nihil inexpertum omittunt oppugnantæ. (Maurer.)

Sic apud Iudeos sacris Priapi turpissimis dicte erant femine, quibus præerat mater regis Asa, III Reg. xv, 19. Sic apud Babylonios, Cyprios, Phœnicæ, etc., erant femine Veneri dicte, ut ostendi Baruch vi, 42. Verum obstat quod pro ejus hebraice sit pronomen femininum, quod utique Niniven, non templum, refert et respicit, ut recte advertit ipse Sanchez, qui proinde tandem hanc expositionem deserit.

Vers. 8. 8. ET NINIVE QUASI PISCINA AQUARUM AQVE EJUS. — Legit Interpres נַיִם *meme* geminate, id est aquæ; sic et Septuaginta jam legunt מימי *mime*, id est a diebus, scilicet antiquis, id est ab olim, supple fuit. Ita Chaldaeus, Hebraei, Vatablus, Pagninus et Syrus, qui verit: *Ninive quasi lacus (stagnum) est aquarum, et inter aquas est.* Sic et Arabicus. Per aquas ad litteram intelliguntur fluctus Tigris, qui Niniven inundabant, ut videntur esse piscina, vel palus, q. d. Tigris non est tutatus Niniven, sed potius eam obruit, et tradidit hosti Tigris enim, vel, ut alii, Euphrates (Tigri enim adiacet Ninive, sed nec longe ab ea aberat Euphrates; unde in agros Ninives stagnare poterat) magnis ac diuturnis imbris tumens, extractis cataractis effusus Niniven inundavit. Cum pluvias conjurarent Austri in adversas Aquilonaris Caucasi nives, quibus liquefactis exuberans amnis, Ninives muros stravit, stagnavit urbem, templum ac regiam evertit. Addunt alii ex Herodoto lib. I, et Diodoro Siculo lib. III, Niniven loco humido et paludoso sitam fuisse, ideoque processisse cives debiles, languidos et lentos, qui urbem tutari non valerent. Symbolice, Ninive erat piscina aquarum, id est plena aquis, id est populi. Urbem enim comparat piscinam, cives aquis; sicut ergo piscina abundat aquis, ita Ninive incolis, q. d. Ninive aluit turbam hominum, sed imbellem et inutilem: nam obsidente eam Chaldaeo, inclamavit opem et tutelam eorum: « ipsi vero fugerunt, » ac licet ipsa vociferans ad ravim, iterum iterumque eos a fuga revocaret, et vociferaretur: « State, state, » ut me defendatis, et resistatis Chaldaeo; frustra tamen id fecit: nam « non est qui revertatur » a fuga, ut hosti frontem opponat, et pro muris consistat ac dimictet. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Remigius, Hugo, Lyranus et Vatablus. Denique aquæ significant copiam opum, quæ in Niniven infuebant, sicut aquæ in piscinam influunt. Unde de his subdit: « Diripite argentum, diripite aurum, vel non est finis divitiarum. » Ita Rupertus et Vatablus.

STATE, STATE. — Sunt verba Ninives, id est principum Ninives, qui suis fugientibus inclamant, ut stent, et resistant hosti, ut jam dixi: licet illi censeant esse verba Chaldaeorum, irridendum vel provocantem Ninivitas ad confictum, ac de more dicentium: « State, state, » ac nobiscum configit.

Vers. 9. 9. DIRIPITE ARGENTUM. — Est vox Medorum et

Chaldaeorum, qui fugientibus Assyriis, capta Ninive, invicem cohortantur ad ejus expiationem, ut prædam ex ea diripiant et afferant. Vides hic quam crebro mutantur persone: nunc enim loquitur Ninive, nunc Chaldæi, nunc Propheta, nunc Deus. Est enim quasi dialogismus. Ita Vatablus, licet illi censeant esse hic vocem Prophete ad Chaldaeos, quæ eos hortetur ut Niniven a civibus fugientibus deserant expilent. Ita Dionysius, Vatablus et Arias. Alii denique censent esse vocem Ninives, se suasque opes a civibus desertas dedentis Chaldæo, q. d. O Chaldæi, rapite aurum meorum civium ignavorum, quia ipsi illud retinere et possidere non merentur, nec valent, aut possunt. Causam, vel potius illecebram hujus expiationis assignant Chaldæi, dum subdunt:

ET NON EST FINIS DIVITIARUM. — Hebraice enim *vau*, id est et, capitur pro *quia*, q. d. Eia, socii, agile, rapite aurum, vasa et opes, quas Ninive ab aliis gentibus rapuit, et in se coacervavit: quia vasa hæc et opes sunt pulcherrima et pretiosissima, æque ac plurima et innumera; ideoque summe desiderabiles. Hebraice additur כבוד *cabod*, id est gloria, vel pondus et onus. Unde Septuaginta vertunt: *Aggravata sunt super omnia vasa concupiscentia sua*, id est, ut Tigurina vertit: *Onusta est rebus quibusque charissimis; quanto enim plus habebat auri, quod grave est, »* tanto magis ipsa aggravabatur, quæ gravia diligebat; ait S. Hieronymus. « Unde et iniquitas, *Zachar. v*, super talentum plumbi sedet; et Egyptii, qui erant peccatis graves, demersi sunt in mare ut plumbum. Et ex persona peccatoris dicitur Psal. xxxvii: Sicut onus grave gravate sunt super me; » Vatablus vero vertit: *Gloria major omni supellectile desiderabili*, id est supellex pretiosa (hanc enim vocat gloriam) est major, sive pretiosior omni re desiderabili, q. d. *Supellex ejus pretiosior est omni alia supellectile*, quantumvis pretiosa et concupisibili, ut vertit Pagninus. In Ninive verum fuit illud *Eccles. v, 12*: « Est et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui. » Unde

Moraliter, discite hic quam aurum sit vanum et indignum cui homo cor apponat; imo noxium, utpote quod hostes alexerit ad exitium Ninives, ut scilicet ejus aurum raperent. Quocirca Babytæceni aurum oderant, illudque abjiciebant, imo sepeliebant, ne cui esset noxæ. Audi memorabile quod de his scribit Solinus *Polyhist.* cap. xxxvi: « A Susis, ait, Babytæce oppidum centum triginta quinque millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri coemunt hoc genus metalli, et abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti ejus usu, avaritia corrumpant æquitate. » Idem totidem pene verbis de iisdem scribit Plinius lib. VI, cap. xxvii, qui et lib. xxxiii, cap. i: « Uti nam, ait, posset et vita in totum abdicari aurum, sacra fames, ut celeberrimi auctores dixerat,

Moraliter, discite hic quam aurum sit vanum et indignum cui homo cor apponat; imo noxium, utpote quod hostes alexerit ad exitium Ninives, ut scilicet ejus aurum raperent.

proscissum conviciis ab optimis quibusque, et ad perniciem vite reperitum: quantum felicioræ ævo, cum res ipse permutatæ inter se, sicut et Trojanis temporibus factum, Homero credi convenit. » Et mox: « Pessimum vite scelus fecit, qui annulum primum induit. » Additque Romanos olim annulo usque, non aureo, sed ferreo; idque etiamnum facitare Lacedæmones. Et inferior: « Romæ, ait, non fuit aurum, nisi exiguum, longo tempore. Certe cum a Gallis capta urbe pax emeretur, non plus quam mille pondo effici potuerat. » Idem, lib. xxxiii, cap. iii: « Servius rex, inquit, primus signavit æs (nam ante rudi ære utebantur); signatum est nota pecudum: unde et pecunia appellata. Argentum signatum est anno Urbis D octogesimo quinto, Q. Fabio consule, quinque annis ante primum bellum Punicum. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quam argenteus. » Et mox: « A nummo, prima est origo avaritiæ excoGITATA. Rex Mithridates Aquilio duci capto aurum in os infudit. Hec parit habendi cupido. Pudet intuentem tantum nomina ista, quæ subinde nova græco sermone excogitantur, expresso argenteis vasis auro, aut incluso, quibus delictis veneunt tam aurea quam aurata, cum sciamus interdixisse cuistris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tanto plus animi fuit fugitivis nostris. » Simile de Medis scribit Isaias cap. xiii, 17: « Ecce, inquit, ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non querant, nec aurum velint. » Argute philosophus ille, interrogatus: « cur palleret aurum, » respondit: « Ex metu, quia omnes ei insidiantur. » Præclare S. Bernardus serm. 4 in Adventu: « Filii Adam, ait, genus avarum et ambitiosum, audite: Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporalis, quæ nec vere nec vestræ sunt? aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosas? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cum interiori, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Vera ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. »

Scribit B. Thomas Morus in *Utopia*, republica felici, aurum non æstimari. Sic enim ait lib. II *Utopia*: « Aurum argentumque a nullo pluris æstimatur, quam rerum ipsarum natura meretur, quia quis non videt quam longe infra ferrum sunt? ut sine quo non magis quam absque igni atque aqua vivere mortales queant, cum interim auro argentoque nullum usum, quo non facile careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset. » Subdit deinde eos, ut suis contemptum auri injiciant, in ejus contumeliam, ex auro matulas et sordidissima vasa conficere, item calenas et crassas compedes, quibus servos coercent: « Postremo, inquit, quoesum-

que aliquid crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent auri, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, et caput denique auro vincitur. Margaritis et gemmis ornat infantulos, qui ubi plusculum acceriverit ætatis, cum animadvertunt ejusmodi nugis non nisi pueros uti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum pudore deponunt. » Subdit deinde facietam narrationem de legatis aliarum gentium in Utopiam ingressis, quorum gemmate aureæque vestes, torques, annuli, etc.: « Apud Utopienses aut servorum supplicia, aut infamiam dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Quocirca infimum quemque pro dominis reverenter salutantes, legatos ipsos ex aurearum catenarum usu pro servis habitos, sine ulla prorsus honore pretermiserunt. Quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abjecerant, ubi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellere matrem ac latius fodere: En mater, quam magnus nebulo margaritis adhuc et gemmulis utitur, ac si esset parvulus! At parens serio etiam illa: Tace, inquit, fili; est, opinor, quisquam de mortuorum legatorum. » Causam subjicit: « Mirantur illi siquidem quemquam esse mortualem, quem exigue gemmæ aut lapilli dubius oblectat fulgor; cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri; aut quemquam tam insanum esse, ut nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur, siquidem hanc ipsam ovis olim gestavit, nec aliud tamen interm quam ovium fuit. Mirantur item aurum superfluum tam inutile, nunc ubique gentium æstimari tanti, ut homo ipse, per quem, atque adeo in ejus usum id pretii obtinuit, minoris multo quam aurum ipsum æstimetur; usque adeo ut plumbens quippiam, et cui non plus ingenti sit quam spiriti, nec minus etiam improbus quam stultus, nullos tamen, et sapientes et bonos viros in servitute habeat, ob id duntaxat, quod et magis occingit aureorum numismatum cumulus; quem si fortuna, aut aliqua legum strophæ ab hero illo ad abjectissimum totius familie sue nebulonem transtulerit, fit ut paulo post in famuli sui familiarium concedat, velut appendix additamentum numismatum. » Hæc Morus non *scripsit*, sed *scripsit*, ideoque Angliæ cancellarius et martyr, in sua illa republica non Platonicæ, sed Christiana. Si Utopie indigene tam vili æstimant aurum, multo magis Urania cœlique cives illud et ceteras opes pro luto habent, inquit S. Theodorus in *Epitaph. Sanct.* lib. II, cap. iv. Silli cives Babylonis et Egypti, qui ex luto et paleis civitates extruunt, illud in pretio et deliciis habent. Quid enim sunt uniones, nisi excrementa concharum? quid gemmæ, nisi lapides minores et subtiliores? quid purpura, nisi sanguis fœdi pisciculi? quid cocceus, nisi sanguis vermiculi? quid byssus, nisi fila et tela bombycum, horridorum, inquam, vermium? Sapienter Venantius Fortunatus: « Pauper in an-

gusto regnat, habendo Deum. » Et S. Paulinus, Nolæ episcopus, captus a Wandalis: « Domine, ait, non excurier propter aurum et argentum; ubi enim mea omnia sint, tu nosti, » uti refert S. Augustinus lib. I *De Civit. x.*

Vers. 10.

10. DISSIPATA EST (Ninive a Medis et Chaldeis), ET SCISSA, ET DILACERATA. — In Hebræo est elegans et nervosa paronomasia **בוקר ומבוקר ומבוקר**, id est *vacuata, et evacuatio, et laceratio* est illi, *q. d. Plane opibus et incolis suis evacuata est Ninive, ac muris et domibus dilacerata.* Ita Tigurina, Vatablus, Pagninus. Hinc Septuaginta vertunt: *Concussio, et excussio, et ebullitio*; Chaldeus: *Dirupta, expulata, et aperta est porta inimico.* Porro ebullitio græce *ἐσθραπία* dicitur, ait S. Hieronymus, cum quod intrinsicus labebat, erumpit in faciem. Unde papule quoque, quæ post ægrotationem nascuntur in labiis, dicuntur *ἐσθραπία*, et sanitatis videtur indicium. Hoc ergo quasi remedium adhibetur Ninivæ ægrotanti, ut malum infernum latens in vitalibus, foras ebulliat, ut excutiatur, vexetur et affligatur crebro. Non solum autem hoc remedium datur, sed et cordis contractio, et dissolutio genium, ut durum et lapideum Ninives cor fractum emolliatur, et rigida genua quæ prius Deo non curvabantur, dissolvantur et flectantur Deo, ac in nomine Jesu omne genua flectatur coelestium, terrestrium et infernorum. Hæc S. Hieronymus.

COR TABESCENS. — Hebræice, *cor liquefactum.* Ita Chaldeus, Pagninus et Vatablus. Sicut enim cera admota igni liquefit et tabescit; ita et cor ad motum vehementi angustiae, dolori et pavore vel liquefcens tabescit, concidit, et quasi confringitur, ut vertunt Septuaginta. Hæc spectant ad eives, sicut priora ad ipsam civitatem. Porro ex hoc cordis deliquo, quasi ex fontis obstructione, naturaliter sequitur *primo*, « dissolutio genitorum; » Tigurina, *tremor genium*; Pagninus et Vatablus, *colitio genium*; corde enim falscente, falscent spiritus vitales et animales, qui a corde ad genera transmittuntur, ut ea roborent ad sustinendum corpus, et ad ambulandum: subductis autem, vel languentibus spiritibus, genera languent et tremunt, et inter se colliduntur ex trepidatione. *Secundo*, sequitur « defectio in cunctis rebus; » Tigurina, *agribus in omnium lumbis.* In rebus ergo, id est in lumbis duobus, quibus subsunt duo renes. Lumbi enim carnes sunt, et quinque vertebrae sacre spinæ interne utrinque complectuntur, a qua spina nervi, musculi et spiritus motivi per ejus medullam derivantur ad totum corpus. Si vertebrae hæc dissolvantur, aut ledantur, et contrahantur, aut impediuntur, ut fit in timore et pavore, elumbis et infirmus fit homo. Ita Ribera. Hinc in rebus et lumbis consistit magna pars virium et roboris hominis, ut dixi vers. I. *Tertio*, sequitur: « Et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ; » Hebræice, *contraxerunt ollam*, id est, ut Tigurina, *ollæ speciem.*

colorem et fuliginem; Chaldeus: *Omnes vultus operientur nigredine, instar ollæ denigratae*; Septuaginta, *sicut adustus ollæ*; facies enim destituta cordis influxu et spiritibus, expallescit et nigrescit, uti videre est in iis qui suffocantur, vel suspenduntur; vide dicta *Joëlis* II, 6. Mystice, Rupertus: Olla atra, inquit, est diabolus, et omnes qui in eo spem reponunt, qui tandem similes fient illi quem coluerunt, dum in ollam vulcaniam, puta in gehennam, detrudentur, fientque aterrima tam corpore, quam mente.

11. UBI EST HABITACULUM LEONUM? — Tigurina: *Ubi est lustrum leonum?* id est, ubi est Ninive, quæ erat quasi spelunca leonum, id est regia prædonum et tyrannorum, *q. d. Deserta est, eversa est, perit, interit.* Reges Assyriorum comparat leonibus; Niniven lustrum; filios et principes eorum, leuenticis, ob eorum fortitudinem, crudelitatem et rapacitatem. Ipsi enim quasi leones venabantur et expilabant omnes gentes, earumque opes et prædas convehant in Niniven, ibique eas inter filios, uxores et principes distribuunt, ut patet IV *Reg. xix*, 11. Ita S. Hieronymus, Remigius, Haymo, Theophylactus, Lyranus, Clarus, Arias et Vatablus. Sic Ezechiel cap. xix, I et sequent., Jerusalem vocat lænam; leuenticos vero vocat reges ejus juvenes, puta Joachas, Joakim, Joachin et Sedechiam filios Josie. Sic Jeremias cap. iv, 7, Nabuchodonosorem vocat leonem: « Ascendit, inquit, leo de cubili suo, et prædo gentium se levavit: egressus est de loco suo, ut ponat terram tuam in solitudinem. » Est sarcasmus, vel potius emphatica admiratio; irridet enim, vel potius miratur, et aliis admirandum proponit horrendum exitium inclyte illius Ninives, et tyrannorum ejus, ut illius exemplo percellantur, caveantque a fastu et spolio leonino, utpote ob quem excisam audium videntur Niniven. Simili schemate ait Baruch cap. iii, 16: « Ubi sunt principes gentium, et qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in avibus celi ludunt? qui argentum thesaurizant et aurum? etc. Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. » Et Isaias de Babylone, cap. xiv, 4: « Quomodo cessavit exactor, quævis tributum? Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, edentem populos in indignatione, plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter (nomine hæc fuit spelunca leonum?). Conguevit et siluit omnis terra, gavis est et exultavit, » dum vidit excidit a Cyro Babylonem, virgam suam tyrannicam. Pari modo Ninive hic vocatur « habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum, » id est, sedes tyrannorum, eorumque filiorum: *pascua* enim est nomen femininum singularis numeri, ut ostendi *Joel*, I, 18. Unde ea subdit:

AD QUAM (scilicet pascuam catulorum leonum, puta ad Niniven) IVIT LEO UT INGREDERETUR ILLUC, CATULUS (id est catuli) LEONIS, ET NON EST QUI EXTER-

Vers. 11. Lustrum erat Ninive.

NEAT? — *q. d. Ubi est illa dives et speciosa Ninive, in qua quasi in pascuis uberrimis pasebant se reges eorumque filii spoliis et prædis, quas diriperant ab omnibus provinciis et gentibus? Ubi sunt ejus reges et tyranni, eorumque filii et principes, qui quasi leones et leonum catuli in Ninive quasi in speleo inexpugnabili, suis viribus et opibus prædentes securi debebant, ut nemo eos invadere auderet, nemo terrorem aut metum eis ineute valeret? q. d. Excisa est, perit, evanuit; fuit illium et ingens gloria Teucrorum; fuit Nina et ingens gloria Niniadum. Ita Theodoretus, Theophylactus, Lyranus, Clarus, Arias et Vatablus. Ex adverso tamen S. Hieronymus, cum suis asseclis, Remigio, Haymone et aliis, per Leonem intelligit Nabuchodonosorem, qui quasi leo invasit leones Assyrios, eorumque lustrum, scilicet Niniven, adeo valide et horrendo, ut nemo eum deterere, nemo se ei opponere auderet. Verum omnia præcedentia et sequentia spectant ad Assyrios, non ad Chaldeos. Taceo quod leones non soleant alios leones, eorumque lustra invadere et prædari, sed tauros, boves, equos, aliasque bestias et feras specie a se distinctas: secus est de lupis; lupus enim in fame lupum devorat. Unde adagium: « Homo homini lupus. » Quare prior sensus germanior videtur. Moraliter, vide hic celeres et miserabiles tyrannorum, regum et regnorum ortus et occasus. Ubi est gloria illa Ninivæ? ubi superba Babylony? ubi illa inlyta Roma? Præclare Ovidius, lib. XV *Metamorph.**

Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,  
Et pro divitiis tumulas ostendit avorum.  
Clara fuit Sparte: magno viguere Mycenæ,  
Vile solum Sparte est; alta cecidit Mycenæ.  
Edipodia quæ sunt nisi nomina Thebæ?  
Quid Pandionæ restant, nisi nomen Athenæ?

Vers. 12.

12. LEO CEPIT SUFFICIENTER CATULIS SUIS (pascendis), ET NECAVIT LEONIS SUIS. — Tigurina, *strangulavit*; Pagninus, *suffocavit leonis suis*. Solent enim leones strangulare animalia, eaque discerpere et distribuere suis catulis et leonibus. Leo est rex Assyriorum, catuli sunt filii, leonæ sunt uxores et concubinae, quos ex spoliis gentium ditabat et ornabat rex. Ita Cleero, actione *v. in Verrem*, asserit « solere barbaros reges Persarum et Syrorum (sub quibus Assyrios et Chaldeos intellige) plures uxores habere; iis autem uxoris civitates attribuere hoc modo: Hæc civitas mulieri in redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos habent universos non solum conscios libidinis suæ, verum etiam administris. » Sic Antiochus rex Syriæ duas illustres civitates donavit concubinae suæ, libro II *Machab.* cap. iv, vers. 30.

Vers. 13.

13. ECCE EGO AD TE. — O spelunca leonum, o Ninive! veniam, ut te per Chaldeos debellem,

puniam et evertam. Unde Tigurina vertit: *En me tibi hostem, dicit Dominus* (1).

ET SUCCEEDAM USQUE AD FUMUM QUADRIGAS TUAS. — Pagninus et Vatablus: *Succeedam igne fumante*, id est igne fumo permixto, *quadrigras ejus*, id est tuas; est enallage personæ, *q. d. Niniven ejusque quadrigras succendam*, omnique in fumum et flammam convertam. Alludit ad venatores, qui ad spelea leonum et ferarum strunt ignes, fumumque ingentem excitant, quo cogunt feras, earumque catulos ne fumo suffocentur egredi, atque egressos venabulis excipiunt et confodiunt. Ita Theodoretus et Theophylactus. Addunt Dorotheus et Epiphanius in *Vita Nahun*, ignem hunc de terra et solitudine ortum, invasisse et concremasse Niniven, ut dixi in Proemio. Septuaginta pro **ד** legentes ei affine **ד** puta **רַבְּרָב** *richba*, id est *quadrigras ejus*, legentes **רַבְּרָב** *richba*, vertunt: *Succendam in fumo multitudinem tuam*; radix enim **רַב** *rabab*, vel *rab* significat multiplicari et esse multum. Unde *rab* et *rabbi*, id est multus, hoc est magnus, scilicet doctor vel prælatus.

EXTERMINABO DE TERRA PREDAM TUAM. — Tigurina: *Lacerationem avertam a terra*, *q. d. Non prædaberis ultra.* Ita Vatablus.

ET NON AUDIETUR ULTRA VOX NUNTIORUM TUORUM, — quos, o Ninive, mittere solebas ad urbes, postulans ab eis vel deditionem, uti misisti Babæonem Hierosolymam, qui eam regi Sennacherib dedi efflagitavit, *Isaiæ xxxvi*, 2. Ita S. Hieronymus et Theophylactus. Vir tributa ab eis pendi solita, aut nova onera quæ eis imponebas, quibus eas expilabas. Ita Remigius, Albertus et Hugo. Septuaginta pro **מַלְאכֵיךָ** *malachecha*, id est nuntios tuos, alii punctis legentes **מַלְאכֵיךָ** *malachecha*, id est *opera tua*, vertunt: *Non audientur ultra opera tua.*

Symbolice, incendium et excidium Ninives representat incendium et excidium mundi sub diem judicii, quod sub nomine Babylonis mystice describit S. Joannes *Apocal.* cap. xvii. « Mundus » enim hic, ut aiebat Philosophus, « non est aliud quam forum impostorum, sermum dolorum, schola vanitatis, lustrum tyrannorum, spelæum latronum et iniquorum, » in quo potentes diripiunt pauperes et simplices. Sicut ergo Ninive punia fuit incendio, sic et mundus igne conflagrationis exurbitur, juxta illud: « Ignis ante ipsum præcedit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus, » *Psal. cxvi*, 3. Illo ergo igne comburentur omnes leones et leuenticis, id est omnes tyranni, raptores et iniqui, omnesque eorum nuntii, quadrigæ, et pompe, ac imprimis eorum dux et princeps Antichristus, inquit S. Hieronymus.

(1) Optime Kreenen: « Non casu aut sine meo numine accidit tuis interitus, sed ipsemet ego supremus universi judex et aerium mei honoris vindex, te aggrediar, tisque adeo hostibus utar tanquam justissime mee vindicte ministris. » Cf. I, 2.

Esaiam Nives ty- pus est excidii mundi.